DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS V. FEBRVARII.

M. IOANNE BAPTISTA DE REVELLOIS, Doctore Medico, Moderatore.

Eſt-ne in hydrope mittendus ſanguis? 1105

PARTES partiumque gluten, quod reſtituere nulla, quantum-vis numquam perire auidæ mortalitatis, induſtria poteſt, humores quatuor in venis contenti ſeruant, in ſeptimum alioqui diem propriis opibus duraturum; iidem triplicis τῶν ἐνορμώντων generis authores. Primam coctionem, elixationi ſpecie non re ſimilem, & ſecundam, quæ prioris vitia vindicare non poteſt, inſtar fermenti promouent, inſito calore (non ideo necis minus quàm vitæ cauſa) mouente, nobilia purgamenta hinc bilis flaua, hinc humor melancholicus. Has naturæ nuſquam quieſcentis & ſæpè in ſua damna properantis diuitias, in detrimentum vertit rerum etiam optimarum vbertas peſſima. Vna πληθώρα, altera κακοχυμία. Hæc vtriuſque bilis & alimenti πληρώματος redundantia: illa quadripertitæ & quaqua verſum σφαιρεσμένης molis ſanguineæ. Vtriuſque commune vitium putredo, auxilium κενεαγγία, putredinis proprium ἀπόλυσις, cuius tamen beneficia dum major eſt non ſuſtinet, quo tempore ἐπείγεσιν, vt & κακοχυμία, poſtulat, venæ ſectionis, purgationis & nutritionis hoc ordine repetitas vices. Quamquam non vnus eſt minuendi ſanguinis modus. Frictio multa molliſque, balneum poſt ſomnum à leui ſobriaque cœna, exercitium à balneo paulo citatius, fames in habitu molli, qui duro præſtabilior eſt, eaque non λιμαγχονίης conſcia, aut infœlicis ἀλιέτυ, ſed juſta omnium partium præter ſtomachum, hoc eſt φυσικῇ ſine omni doloris ſenſu. Hæc oneris partem clanculum ſubducunt, at ſegniter nimis. Verùm ſi propter ejus grauitatem aut ſecuritati valorum aut viribus metuis, præſentaneam opem flagitante naturâ, ſcalpello viam planè regiam, directam, breuem ad ſalutem aperies & munies fœliciùs, quàm ſi anguſto calle & flexu cum ſuſpicioſo nimium Eraſiſtrato imaginoſus & αἱμοφόβος errares, ficulneo præſidio damnis aucturus ægrotantem inde majoribus.

YΔΡΩΨ ſymptomatis veriùs quàm morbi nomen, aut flatus eſt, aut muci aut ſeri, partis aut totius. Hujus ſunt ὑδροκήλη, folliculi genitalis hydrops, hydrocephalus, capitis, ἐμπνευματώσεων & œdematum omne genus. Siue priuatus ſit plebeiarum partium error, ſiue quod naturæ ſummum jus, ſumma juſtitia voluit, quidquid delirant dominæ partes plectuntur ſubditæ. Notiſſimæ hydropis ſpecies, ὑποσαρκίδιος, ſeu λευκοφλεγματίας, vtricularius, qui potiſſimum aqua intercus dicitur, & qui perſonatus inter hos accedit τυμπανίας, ſiue ſiccus hydrops. Quamquam, ſi rem ipſam ſpectas, verus eſt hydrops ſanguinis conficiendi fruſtratio in ea parte in qua, tametſi ψυχῆς ἀθέῳ καὶ κακοδαίμονος cauum eſt, ignis diuini particula beato huic quo rigamur dulcique, quo tamen non ſolo ſtant quæ nutriuntur, ſucco vim animæ nutricis cum calore fœnerat. Hanc partem homini, vt emancipato filio, natura dedit, huic ante alia parens optima, nulli nouerca, tanquam gentilem & ἐυσυμφόρον fundum. Huic parti temperiem, figuram, robur, in fibrarum firmitate poſitum, affectionem præterea ſeu formam, quam, quemadmodum nec ἰδιοσυγκρασίαν, Medicorum aut Philoſophorum nemo niſi de nomine nouit. Quid enim refert eam ἐντελέχειαν, ἄλλο, φύσιν, ὕλης οὐσίας ἰδιότητα nuncupes? Verba tenes, rem vſu modo intelligis, cujus habet, qui fabricauit, ſcientiam. Quot bona dedit, tot malorum ſemina. Totius naturæ proprietatem inexplicabilia venena deſtruunt; temperiem mutant, robur ſoluunt, qualitatum injuriæ; figuram violant quæ ductus illos quos forauit natura, aut preſſu delent, aut infarctu impediunt; calorem elementaris naturæ indigenam, at nobilioris formæ miniſtrum, cæterorum omnium rectorem venena necant, opprimit ὑποχαυνώδων moles, præfocat ſpiramentorum obſtructio, euocando diſſipat potentior ignis, extenuat τοῦ ἰκμαλέου conſumptio, extinguit aquæ potus ἀγωνιστικὸς. Suum hæc ſingula hydropem repræſentant. A ſero quippe, flatu muco, caue ponas aut morbo diuortia aut medelæ. Ex cauſa proxima ſit tibi præcipua αἰτίης indicatio: vt ex remotiore propinquæ ſcientia.

ΛOIMOΥ κατάρξαντος nonnumquam oritur à carnibus ſenſimque ſerpit lues ad vitæ lares, quos bupreſtis abſumpta, aut dipſas, inexhauſta bibendi auiditate conſumit. Sæpè à mora reſtitantis ſanguinis præter naturæ aut artis legem, ſæpiùs obdureſcente in ſolidum viſceris parenchymate, ſæpiùs ab αἱμοῤῥαγίας immoderatiore excurſu, ſeu per anum ſit, ſeu per imbecillimam partem ſequioris ſexus, tum ab febrium colliquamento, queis perinde fatale eſt in torridum marcorem aut in hydropem deſinere. Stuporis vtrumque futurum idiotis argumentum, quod nec febris cedat plurima aquæ vi extincta, nec illam abſumat, ſed amplius nouâ alluuione congerat. Sæpiſſimè à dominâ cæterarum qualitate, qua ſanguis coit & liquatur. A frigore in viuente fieri vix credas. Nec propriis tantum vitiis areſcit aut inquinatur ſanguinis fons. Etiam adminiculantium partium laborat peccatis. Sæpè otioſus non pellit hanc quâ exundat ſanguinis ἰχωροειδοῦς illuuiem, interdum pulſam finibus trahendo ſegnior & ignauior operi porro agere recuſat vis renum imbecillior. Sæpè tractam, ne percolet, inflammatio vetat. Propterea diabetes vbi deſiit eſſe ὕδερος εἰς ἀμίδα fuſo habitu carnium in abdomen erumpit. Iam tenuius aut plenius inteſtinum, quaſi non ſit ſatis priuato deeſſe muneri, omni conſenſionis genere vtuntur in querelam dum chylum inquinant & porrigunt ægreſcentibus vaſorum oſculis, aut corrumpi caloris paupertate ſuſtinent, vnde fœdæ & omni-genæ putredinis virus exhalat. Sic tandem ſuo vterus & lien muneri deſunt augentque morbum, ſic ſua cuique malorum ſportula eſt qualitatis aut copiæ vitium.

IN his malis Medicus clauum ſemper teneat διάγνωσιν quam legitimæ curationis πηδάλιον ſuo merito dixeris. Qua ſine qui vela pandit & ἐλευθέρως artis nimium ſibi arrogat opera ſubleſtæ fidei experientia pro vera ratione vſus, hunc ſimilem aleatori putes, fortunæ, non artis aut naturæ miniſtrum. Qui hanc tenet aut jactatum eripiet pluſquam decumanis fluctibus pene naufragum laborantem, aut properantia fata ſufflaminabit. In externis, quorum nulla ad opus medendi ſcientia, tota pene verſatur hujus mali cognitio, vt prima ſit facillima pars in medendo. Hæc ᾗ δ' ποσόν, ᾗ δ' ποῖος morbi deſignant, eoque aut opus arti diſpenſant aut juſtitium indicunt. Hydrops à conſummato ſcirrho morbis ve acutis, quibus ſuccedit marcor, aut ab ebrioſitate, conclamatus eſt. Non magis hunc ſanare vacat quam manes orco ſuſcitare. Ab his ergò tibi temperes Diuinâ manu potiùs quàm medicamentis, tametſi θεῶν χεῖρες audiunt, ſanabili. Præcipuus nempe precibus votiſque locus eſt vbi ſpei nullus eſſe poteſt. Quamquam etiam pars artis eſt quod immedicabile eſt attingere vt minus lædat, vltimaque naufragis tabula ſit etiam acceptiſſima vitam redemiſſe morbo aut fato moras poſuiſſe. Sic miſera cauſariæ vitæ patientia in artis opus & beneficium cedit; vtque ἀκρωτηριασμῷ redimi fata ſolent; ſic etiam ſecus propere conuaſantis naturæ vena ſecta res commodiſſime juuabis. Ita, dum illa fugit, tanquam Deus è machinâ accedes dignum arte præcipua, at plane θεοπρεπὲς meditatus, quo nonnihil vim morbi comprimes, inteſtinum ardorem, ſitim, ſpirandi difficultatem minues, dolori indulgebis. Vt intelligas ſua non deeſſe in artis operibus indicandis ſymptomatum momenta.

AT ſolus ille hydrops ſolido vtitur artis beneficio qui ſit integris viſceribus. Accedit illa huic non vna, quia nec is vnus. Huic ſemper excuba ἀντίπαλος, ἰσόῤῥοπον, ſi vacat, præſidium allaturus. Qui jactura ſanguinis aquoſus factus eſt, hunc peculij reliquiis ne defraudes. Æque jugulaueris ſi tum ſcalpello venam pertuderis aut aqualiculum, in ſolo quidem aſcite, à plethorâ, ineunte cædendum. Alimentis potius committe quod vitæ ſupereſt, quæ laboris parum paupertino calori inferant, facile permeent nec multum nutriant. Ne ſinas abſtemium. Vino pauperem genium recreabis, refocillabis generoſo, ὑδαρεῖ, non edentulo nec horno. Si vero hydropis conſcia, nephritis ſit, non erit tibi præſentius venæ ſectione præſidium. Hinc vel inde cedas è cubito licet, vix è ſaphæna, niſi συντιμωρίᾳ quadam tam graui malo hæmorrhoïdum aut menſtruorum ſuppreſſio primam morbi fecerit querelam. Alias venas aliis morbis permitte. Frontis, inſanientibus; narium aut canthorum oculi, lippientibus; jugularium, anginæ; læuæ manus, lienoſis; humeralis, ceruicum capitiſque morbis. Infœliciùs ſanguini parcit is initio, quem vrgente deinceps morbo profundat, imperite ſimul vnoque nomine αἱμοφόβος & ὑδροφόβος. In anaſarca ex nimio ſanguine facto præſertim ſi præfocaturus ſit, idem auſis tentare præſidium. At bene memor τοῦ ταμιεύειν, ſæpiuſque neglectâ venæ ſectione ſeri copia ventrem exundaſſe. Ne tibi imponant, vt ſapientiſſimis quibuſque nonnunquam, αἱ ὁμοιότητες. Memineris oleo æquè ac aquâ ellychnium extingui, ſerum inde διουρητικοῖς promoueris per vreteres deportandum. Ecquid opus fame & ſiti Metrodorum agere aut aluminoſis & ſulphureis mergere balneis? ſiccas ſudationes, in ſolario ψαμμισμὸν, frictiones multas, molles meditari? His tantum, αὐχμὸν ἐξ ἐπομβρείης Heracliti voto quærere? Seris nimis otioſæ artis manupretiis ac pugna plane velitari. Paria tanto malo feceris ſi, quam tibi conflauit illuuiem, ſeu in abdomine ſeu in venis omnibus habitu-ve corporis, purgantibus etiam mochlicis deturbare cogites. Præeat modo pro ſuo jure & naturæ lege ſanguinis miſſio, à quâ nulla te deterrebit ætas, cuius tamen in decernendo modo, in quo præcipuæ ſunt medentium conjecturæ, rationem habebis.

Eſt ergo in hydrope mittendus ſanguis. 545

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Lienard.	*M. Carolus Patin.*	*M. Claudius le Vaſſeur.*
M. Philippus Douté.	*M. Philippus Chartier Med. Reg.*	*M. Dionyſius Joncquet.*
M. Nicolaus Morin.	*M. Franciſcus Boujonier.*	*M. Jacobus Gauois.*

Proponebat Lutetiæ DIONYSIVS DODART Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LX.